





9.

OMEN IN NOMINE
VIRI
PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMI ET
CONSULTISSIMI
**GEORGII SAMVELIS
ASTERI**

CENSVM QVI POTENTISSIMO SARMATARVM REGI
ATQVE ELECTORI SAXONIAE EX TRACTV MONTANO
COLLIGVNTVR PRAEFECTO DVM VIVERET PRAECLARE
MERITO ET CONSULI REIP. FREIBERGEN
SIS DIGNISSIMO

A. D. XV. SEXTIL. ANNI MDCCXXXVII

HVMANIS REBVS EREPTI

STRICTIM EXPONIT

ET AD

ORATIONES IN EIVS MEMORIAM

PVBLCICE HABENDAS

OBSEQUIOSE INVITAT

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN

RECT. GYMNI.

FREIBERGAE

Litteris CHRISTOPHORI MATTHAEI

III.

* * * * *

T Amesti nomina eo praecipue consilio nobis indita sunt, quo facilius alter ab altero internosci possit: tantum tamen abest, vt exilimemus, veteres veluti ex triuio talia arripuisse, qualiacunque in mentem vel buccam venirent, a) vt potius circumspicte in iis imponendis versatos illos esse, nobis persuadeamus. Et Hebraei quidem vel expressum mandatum diuinum respiciebant, vel nomina ad conditionem infantis recens nati adcommo- dabant, vel rationem natiuitatis, loci, atque temporis habebant, vel salutarem vitae agenda admonitionem suggerebant, vel euentum actionum futurarum praeflagiebant, vel similitudinem cum alio eiusdem nominis inuebant, vel bonum aliquod omen praenuntiabant. b) Graeci vero, et hos imitati Romani nomina propria vel a corporis adfectionibus, vel ab animi indole, vel a fortunae conditione, vel a rebus gestis petebant. c) Ex quo intelligi potest, cur PYTHAGORAS et PLATO adfirmauerint, nominum impositionem non quorumuis hominum esse, sed tantummodo sapientissimorum. Et haec caussa fuisse videtur, quae SOCRATEM permouit, vt statueret, homines vi naturae occulta, et genio quodam obstetricante, ea nomina sortiri, quae ipsis futurae praeflagia fortunae praeflare possint. *) In quam sententiam iam dudum poeta, adductis duobus exemplis, ita cecinit :

Nomina sunt omen. *Venturi praescius* IDMON

Fertur, et HIPPOLYTUS *dilaceratus equis.*

Haec omina nominibus significata multis iisque luculentissimis testimoniis confirmare possemus, si instituti nostri ratio ferret.

Vnicum ASTERI nomen instar omnium esse potest, cuius honori et memoriae haec scriptio est consecrata. *Stellam* illo exprimi, cognitum et perspectum habent, qui ex Graeco sermone significationem dictionis *ἀστέρα* non ignorant. Quemadmodum vero *stella* admirabili suo splendore omnium oculos ferit: ita in illustre aliquod symbolum euasit eorum omnium, quae, veluti in excello posita, praeceteris exsplendescunt. Hac mente ab HORATIO *sidere pulchrior* ille

a) Ita sentit Gallus, *des Courures*, dans morale uniuerselle maxim. IV. p. 20. *Les Noms ne sont que l'effet du caprice.*

b) *Hilferi* Onomast. S. p. 248. 272 lqq. c) conf. I. H. *Otrius* de Nominibus hominum propriis P. I. §. 61. D. G. *Molleri* Diss. de fatalibus personarum nominibus. §. 5. C. B. *Michaelis* Diss. de Nom. Propr. §. 23. 10. *Schmidius* in Diss. de fatalitate nominum, Sect. I. §. 16. et qui ex professo hoc argumentum persequuntur, *Robortellus*, *Sigonius*, et *Onuphr. Panuinius*. *) *Plato* in *Cratyl.*

ille adpellatur, d) qui extima formae elegantia sese commendat. Sic summi viri cum stellis comparantur, qui celebritate et felicitate alios antecellunt. e) Quo sensu VIRGILIUS Pallantem, Aeneas focium fortissimum, ita describit; f)

Qualis, vbi Oceani perfusus *lucifer* vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum caelo, tenebrasque resoluit.

Sic CVRTIVS Alexandrum M. *Macedoniae sidus* adpellat, g) quo nomine etiam SVETONIVS imperatorem Caligulam cohonestat; h) sic MVSAEVVS Hero et Leandrum, vtrumque de patria optime meritum, scite nominat i)

ἀμφοτέρων πολίων περικαλλέας ἀστέρων ἀμφο,
ambos amborum urbium perpulcras stellas.

Antonius vero, Romanus ille, filio, quem ex Cleopatra susceperat, *solis*, filiae autem *lunae* nomen faciebat. k) Imprimis populi Orientales viros aliis praestantiores vel ab astris cognominabant, vel certe cum stellis conferebant. l) Id quod testatum faciunt nomina *Cores* et *Mithridates*, i. e. sol; *Darius*, i. e. magnus ignis; *Abednego* i. e. cultor fideris; *Nebucadnezar* i. e. Nebo, (Chaldaeorum Deus) est sidus splendidum; *Nebusar Adan*, i. e. Nebo splendoris dominus; *Belfazer*, i. e. Belus (est) splendor fideris; *Seres*, i. e. stella Veneris; *Schetar Bozenai*, i. e. stella lucida; *Iarcha*, i. e. luna crescens. Imo ipsum nomen *Esther* a Persico vocabulo *Ster*, quod stellam notat, et ad Graecum ἀστὴρ proxime accedit, originem traxisse videtur. Arabes eadem consuetudine vsos, homines nobilissimos stellarum cognomine insignivisse, exemplis in medium adlatis, cel. SCHVLTVENS docet. m) Æthiopes autem eundem morem sequi, cl. IO. SIMON ex quodam poeta demonstrat, qui viros praeclare de republica meritos *stellas* et *gemmas urbis* adpellat. n) Quid? quod Christus ipse suos discipulos *Φῶτας τῆ κόσμου*, lumina mundi, cognominet? o) Rex Babelis cum lucifero comparetur? p) Siracidae vero Simon, Pontifex maximus, ἀστὴρ ἐώθινος, stella matutina, dicatur? *) Qui plura exempla virorum illustrium cum stellis comparatorum desiderat,

)(2

lar-

d) L. III. od. IX. e) *Barth.* ad Stat. Theb. I. p. 354. *Pedo Albinov.* I. 408. *Emaldi Emblem.* P. III. p. 501. *de la Cerda* ad Virgil. Aen. VIII. 588. f) l. c. g) IX. 6. 8. h) in Caligul. c. 9. i) in Carm. v. 22. k) *Plutarch.* in vita Antonii. l) *Quaresmius* in Elucidi. Terr. S. T. I. p. 141. m) in Notis ad Excerpta ex Amadoddino, p. II. n) *Onomast.* V. T. p. 581. o) *Matth. V.* 14. p) *Ies.* XIV. 12. *) *Sir.* L. 6.

largissimam illorum fegetem apud WILDIVM, q) BARTHIVM r) BVRMANNVM, s) HASAEVM, t) VRIEMOET, v) et SCHARBAV, w) deprehendet.

Sed quid opus est, in peregrinis haerere, quum praesto sint exempla domestica, quae omnium oculos in sese conuertunt? ASTERVS certe noster, rebus egregie gestis longe spectatissimus, vix expressiori imagine repraesentari posse videtur, quam si, nominis sui habita ratione, cum stella comparetur: quippe qui et patriam, et familiam, et curiam, et omnem suam vitam, dum superstes fuit, mirifice illustravit.

Lucem ille vitalem Freibergae, anni superioris saeculi octuagesimi noni tertio Cal. Mart. adspexit. Et quemadmodum *Asterion*, Graeciae fluvius haud ignobilis, a PAVSANIA x) eo nomine commendatur, quod et Eleutheriam et montes contingat: ita ASTERVS noster haud postrema felicitatis parte posuit, quod in vrbe Eleutheria, inter montes metalliferos sita, vitam hausisset, quae nullo non tempore viros et protulit et aluit, aeterna memoria colendos. Quod enim HOMERVS de vrbe Thessalia nobilissima, *Asterio*, cecinit, quod in alto monte posita, veluti stella longe lateque splenderit; id in nostram Freibergam convenire, nemo facile inficiabitur.

Patre vsus est SAMVELE ASTERO, amplissimi huius loci senatus praetore, et aerarii ecclesiastici curatore longe meritissimo, matre Maria Dorothea, ad Richterorum familiam genus suum referente. Quorum prima cura fuit, ut filius recens natus et sacri fontis lauacro expiatus Christianae civitati adscriberetur, feretque

ἀστὴρ ὄπαρσᾶ ἐναλίγκιος, ὅτε μάλισσᾶ
λαμπρὸν παμφόρησι λελασμένος ὠκεανοῖο,
stellae auctumnali simili, quae maxime
splendide lucet, lota in Oceano. y)

His auspiciis initiatus, et ingenii felicitate, naturae bonitate, parentum cura, maiorumque gloria excitatus, ita adolevit Noster, ut non nisi praeclara ininaretur. Neque enim gratis ASTERI nomine uti voluit, sed eo sibi committendum esse existimavit, ut nomen illud re ac facto exaequaret, moniti Horatiani memor,

Tunc recte viues, si curas esse, quod audis. z) Fallor?

q) in Select. Numism. Antiqu. p. 156. r) Aduersar. L. VII. c. 21. LIV. 12. et ad Claudian. de Nupt. Honor. v. 243. s) ad Petronii Satyr. c. 127. t) in Biblioth. Brem. Class. VIII. p. 723. v) Diss. de Schiloh c. IV. p. 124. w) in Oberu. Sacr. P. II. p. 326. x) in Corinthiac. II. y) Homer. Iliad. E. 5. 6. z) Horat. L. I. Ep. XVI.

Fallor? an ASTERVS noster STELLAM, poctam prifcae acetatis
haud ignobilem, hac ratione laudabiliter imitatus fuit, quem STATIVS
commemoratur bene ac fapienter a puero nominis fui rationem habuif-
fe, his vfu verbis: a)

- - - - - clarus de gente Latina

Est iuuenis, quem patritiis maioribus ortuna

Nobilitas gauila tulit, praefagaque formae

Protinus e noftro pofuit cognomina caelo.

Et quemadmodum ipfe optimus noftri ASTERI parens iuftum litteris,
bonae mentis obftetricibus, pretium ftatuebat; ita filium iis omnibus,
quibus iuuenilis aetas limari et perpoliri debet, artibus erudiendum cu-
rabat. Nofter vero, ignei vigoris agitatione concitatus, quem inflam-
matiffimo ftudio ad litteras illas elegantiores, quae ab humanitate no-
men fant fortitae, raperetur, in fcholis cum publicis tum priuatis tanta
fecit progrefiones, vt commilitonibus fuis facile palmam praeriperet,
et incredibili ftupore prae ceteris ftellis effulgeret,

- - - - - ut caelo fulget luna fereno

Inter minora fidera. b)

Quibus praefidiis inftitutus MDCCVII, faufto fidere Athenas Plis-
fiacas petebat, ibique ftudiorum fuorum rationes ita componebat, vt,
ducibus viris eruditiffimis, interiora illarum fcientiarum pertentaret,
quas aliquando vfu fibi fore, haud vano augurio fufpicabatur. Hac
mente non tantum Notarii publici Caefarei dignitatem confequebatur,
fed etiam, moderante fummi nominis viro, IO. BVRCK. MENCKE-
NIO, plus fimplici vice difputando vires ingenii fui experiebatur. Ita-
que gemmae *Afteriae*, in montibus Pallenes natae, fimilis ASTERVS
nofter videbatur, quae, quo faepius politur, eo clarius exftupendefcit, a
Poeta ita decantata:

Ἰθα μελιρροβόταιο κατὰ σκοπιὸς Παλλήνης

Φύεται ἀτέριος, καλὸς λίθος, διὰ τὴν ἀτῆρ

μαρμαίρων.

et quam plene lunae lucem referre PLINIVS eft auctor. c)

Euenfus vero hoc ftadium, illum locum circumfpiciebat, quo col-
lectas fcientiae opes vfu perpetuo confirmaret: eoque confilio anno
MDCCXII, Pirnam fele conferebat, vbi Actuarii nomine praefecto
aderat, et cauffis in foro perorandis ftrenue feruebat. Interiecto au-
tem decem annorum interuallo, ab fenatu patriae ampliffimo ad pro-
curan-

) 3

a) Silv. L. I. Silv. II 70 fqq.

b) Horat. Epod. XV.

c) Hift. nat. T. V,

L. XXXVII. c. IX. p. 401. edit. Harduin.

suranda ex tractu montano uectigalia adhibebatur. Quas partes quam summa fide et sollertia exsequutus fuisset, anno MDCCXXIV. in ipsum senatorium collegium cooptabatur, ea quidem lege, vt simul administrationem fisci ecclesiastici procuraret. Nam, quemadmodum *Aster* ille *Samius*, species terrae cuiusdam, quanto pluribus medicinae vrbibus inferuit; tanto maiori in pretio habetur; d) ita nosster ASTERVS eo grauioribus laboribus adhibebatur, quo pluribus parem ipsum ciues sui sentiebant. Quos inter labores ita obduerit, vt otio, si quod nancisceretur, enervari et languere, negotiis autem perpetuis confirmari videretur, astris coelestibus fere similis, qui multum quidem splendoris, nihil autem quietis habent, eaque de causa ab ARISTOTELE *ἀστέρες διαστέρες καὶ διάττες*, currentes et perpetuo motu sese agitantes, nominantur.

Anno MDCCXXXIII. praetoriam prouinciam suscipiebat, quam iam vicario nomine per octo annos proximos multa cum laude administrauerat. Et quam ita eam gessisset, vt nihil posset desiderari, collegae non dubitabant, supremum consulatus honorem anno MDCCXLII. consociatis suffragiis, ad eum deferre. Quanta cura huic muneri praefuerit, quanto studio ciuium saluti inuigilauerit, quanta contentione in commune bonum consuluerit, quantas molestias, praecipue ante duos abhinc annos, publicas inter calamitates, deuorauerit, et quanta cum dignitate semper locum suum ornauerit, quam neminem nostrum fugit, pio potius animo eius virtutes colimus, quam multis verbis enarramus. Hoc certe in sprico positum atque in vulgus notum est, eum et ingenii alacritate, et iudicii acie, et laborum pertinacia omnes excitasse, qui cum eo erant, adeo, vt recte in eum conuenire viderentur, quae de *Asterio* flunio poeta cecinit; e)

- - - ille alta per auia notus

Audiri, et longe pastorum rumpere fomnos.

Nam, quod M. TVLLIVS CICERO olim in bono consule requisit, *animo*, inquiens, f) *consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus omni officio*; et quod idem alio loco monet, g) *vt iudex ad facilitatem in audiendo adiungat diligentiam in satisfaciendo*; id vero accurate ASTERVM nostrum obseruasse, omnes aequi rerum aestimatores vno ore consentunt.

Vt autem haberet, quo vitae huius molestias lenaret, solitudinis taedia

d) *Galenus* L. IX. *Simplic.* e) *Stat. Theb.* IV. 714. *sqq.* f) *Orat. in Pison.* XXIII. 10. g) *ad Quinct. Frat.* Ep. IX.

taedia dilecti coniugio lenire studebat, adlecta thori socia, *Maria Concordia*, consulis Pirnensis, *Wagneri*, filia, virgine omnia sui sexus decora cumulatissime complexa. Quam ita adamauit ASTERVS, vt in oculis ipsam gestaret, et ad Stellae poetae exemplum perpetuo eam compellaret :

Asteris ante dapes, nocte *Asteris*, *Asteris* ortu. h) Ex hoc coniugio triginta, et quod excurrit, annos, luculentissimis gratiae diuinae documentis collustrato, octo liberos suscepit ; scilicet *Christianam Concordiam*, sub ineuntis aetatis florem extinctam ; *Samuel Gottlibium*, tributis circuli montani feruientem, ex quo etiam neptem *Noster* vidit ; *Georgium Samuelem*, qui immatura morte vitam finiuit ; *Fridericium Gotthelfsum*, qui, absolutis studiis iuris academicis, et examine ad praxin superato, reipublicae mancipatur ; *Iohannam Eleonoram*, *Samueli Tzschocckelio*, tributorum ex circulo montano redeuntium administratori, et senatori apud *Freibergenses* meritissimum, nuptui datam, quae duorum nepotum auum fecit *Nostrum* ; *Gotthold Sigismundum*, qui vitam cum morte commutauit ; *Rabel Christianam*, et *Theodoram Concordiam*, omnis generis virtutibus ornatissimas. In hac progenie prudenter et laudabiliter educanda pius hic pater omni studio elaborabat, neque vlla ex re, peractis laboribus diurnis, maiorem voluptatem capiebat, quam ex consortio suorum liberorum : quos dubium non est, Asteriani nominis dignitatem summa animi religione seruaturos, illasque gemmas esse imitaturos, quas *deseples* ideo vocari, *HIERON. CARDANVS* tradit, quod stellarum instar reluceant. i)

Quemadmodum autem astra caelestia non semper puro ac sereno caelo effulgent, sed nubibus idemtidem obducuntur, et veluti obscurantur : ita etiam ASTERVM nostrum fortuna secunda non perpetuo adflauit, sed fata aduersa omnisque generis calamitates vehementer excruciauerunt. Quae quidem quantumuis acerba illis videbantur, qui cum eo erant, ipsum tamen ab animi excelsitate deturbare nunquam valebant, quippe qui, stellae instar, etiamsi tempestatibus infestaretur, tamen nec mutabatur nec commaculabatur. Tandem dolores ex calculus, quibus laborabat, vires eius adeo atterebant, vt die xvii. mensis Quintilis, superato LVIII. annorum curriculo, sicco asthmate correptus, morti, non veluti hosti, succumberet, sed tanquam amico, quotidie expectato, cederet, adsurgeret, et pareret, animam, tot admiranda decora complexam, integra mente, ita effans, vt obdormiuisse potius, quam vitam amisisse videretur. Cuius funus quinto post die sollempni comitatu co-

hone-

h) *Scotius Silv.* L. I. c. II. v. 198.

i) *Oper.* Tom. II. p. 564.

honestatum in sedem sacram, a Diuo Petro nominatam, deferebatur, ei-
que publicis orationibus a viris maxime reuerendis, M. Hier. Ioachimo
Waegero et M. Christ. Gottbold Wilischio habitis, iusta perfoluebantur.

Itaque tam auspiciatum fidus cum ASTERO oculis nostris subdu-
ctum, quam insigne patriae decus a complexu nostro auulsum esse, in-
telligimus. Cuius caritatem quo longius desiderio extendimus, hoc ef-
fufiori praedicatione vitam illius ornandam existimamus, ASTERI no-
men omine felici commendabile piis animis sancte feruaturi, cui ex
HORATII monito k)

praesenti largimur honores

Iurandasque *bonum per nomen* ponimus aras.

Hanc in memoriam nostra etiam schola, quam ASTERVS noster curae
cordique habuit, ornauit, suae praesentia saepissime condecorauit, cras,
Deo volente, procuratis ante meridiem sacris, per aliquot alumnos inter-
pretes pietatis officio cum debita animi religione defungetur. Et quidem

IO, GOTTFRIED HETZEL,

ex sano Alberti Misi.

carmine Teutonico, sani coloris bonique saporis, Astraeam, iustitiae de-
am, repraesentabit, mortem ASTERI indicantem et dolentem.

GOTTHOLD ERICVS ASTER,

Offitio - Misi.

pedestri sermone, eoque latino, illa in medium adferet, quae de aue
Phoenice veteres memoriae prodiderunt.

IO. CHRISTOPH FRITSCHÉ,

Sayda - Misi.

verbis graecis vsus, ea confutabit, quae in hac de Phoenice narra-
tione fabulam sapere videntur.

SIGISM. ISR. BERGEN,

Freiberg - Misi.

versibus epicis consulem beate denatum cum Phoenice comparabit,
Tandem his socium sese adiunget

CHRISTOPH SALOMON SAVPE,

Lommat. Misi.

qui anniuersariam memoriam conuictus liberalis, certis scholae nostrae
alumnis destinati, oratione latina de *aenigmatibus veterum conuualibus*
renouabit. Vos, Maecenates, Patroni et Fautores, vt frequentes in audi-
torio superiori conflatis, atque in studio VOBIS placendi, quod vni-
cuique Vestrum oratores iuuenes comprobabunt, benigne acquiescatis,
etiam atque etiam contendo. P. P. *Freibergae*, VIII. Cal. Sept.

A. R. S. M D C C XXXVII.

k) L. II, Ed. I.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







OMEN IN NOMINE

VIRI

PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMI ET
CONSULTISSIMI

GEORGII SAMVELIS ASTERI

CENSURVM QVI POTENTISSIMO SARMATARVM REGI
ATQVE ELECTORI SAXONIAE EX TRACTV MONTANO
COLLIGVNTVR PRAEFECTO DVM VIVERET PRAECLARE
MERITO ET CONSULI REIP. FREIBERGEN
SIS DIGNISSIMO

A. D. XV. SEXTIL. ANNI MDCCXXXVII

HVMANIS REBVS EREPTI

STRICTIM EXPONIT

ET AD

ORATIONES IN EIVS MEMORIAM

PVBLCICE HABENDAS

OBSEQVIOSE INVITAT

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN

RECT. GYMNI.

FREIBERGAE

Litteris CHRISTOPHORI MATTHAEI

III.